



**Geistliche || Lieder vnd Psalmen/ der || alten
Apostolischer recht vnd warglau=
biger Christlicher
Kirchen/ so vor vnd nach der || Predigt/ auch bey der
heiligen Communion/ vnd || sonst in dem haus ...**

Leisentritt, Johann

Budissin, 1567

VD16 L 1061

Oratio Ad S. R. E. Prodromum, Ioan: Leisentritij 2c.

Nutzungsbedingungen

[urn:nbn:de:hbz:466:1-56508](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-56508)

ORATIO AD
S. R. E. PRODRo
mum, Ioan: Leisentritij 2c.



CLEMENTISSIME Domine
 Iesu-Christe, Fer opem
 qua defendamur ab im-
 proborum matricidarum
 moribus: Habe quæso rationem car-
 lamitatis nostræ, & exaudi nos Do-
 mine Deus. Nos certè in tua beni-
 gnitate posuimus omnem spem nos-
 tram, quare nihil dubitamus, quin fu-
 turum sit, ut gaudeat cor nostrum, ob
 salutem nobis abs te allatam, & mate-
 riam habituri simus cantandi laudes
 sponsi, ubi ultus fueris iniuriam, qua
 affecerunt nos hostes tui uerbi. Te ni-
 timur pie Iesu, & in nomine tuo non
 erit nobis formidabilis ἀπολλύων cor
 & infernalis Harmagedon, Extermina-
 nator & schismaticus: cū scriptū sit,
 ἡ ἀληθία τοῦ κυρίου μένει εἰς τὸν αἰῶνα
 Quid uerò timebimus, qui propitia-
 torem habemus Deum: ignominia-
 am: at summa est gloria pro Christo
 & sua Ecclesia ignominiam pati.



Paupertatem ⁊ at opum sarcinam lu-
bens abijcit, quisquis ad Christon
properat. Mortem ⁊ at ea maxime in
uotis est, per quam scimus ad immor-
talem uitam esse transmucandos. Er-
go Domine, excita potentiam tuam
& ueni, & quod Ecclesiae tuae pro-
misisti, usq; in finem saeculi clemen-
ter operare. Da pastoribus, quibus
tuas uices, delegare dignatus es, Pro-
phetiae donum, ut arcanas scripturas,
ex tuo afflatu interpretentur. Da
charitatem triplicem, quam B. Pe-
tro stipulatus es, ouium curam illi de-
mandaturus: Laua quod est sordidū,
riga q̄ est aridum, sana q̄ est saucium,
flecte quod est rigidum, foue quod
est languidum, rege quod est deni-
um. Da Principibus tui timorem, ut
sic rempublicam administrent, tanq̄
breui tibi regum regi rationem de
singulis reddaturi. Da Throno tuo
semper assistentem sapientiam, ut



quod sit optimum factu perspiciani
animo, factisq; persequantur. Da sa-
cerdotibus tuis sobrietatis & castita-
tis amorem. Da misero tuo popello
bonam uoluntatem obtemperandi
præceptis tuis, ac promptitudinem
obsequendi ijs, per quos iuxta tuum
animum uoluisti res administrari hu-
manas: Da tuis fidelibus in te confi-
dentibus sacrum septenarium. Da
gaudiorum præmia, da gratiarum
munera, dissolue litis uinacula, astringe
pacis fœdera. Da uirtutis meritum,
da salutis exitum, da perenne gaudi-
um. Hoc fac fili Dei, & citissime, fiat.

fiat. Dicat omnis Ecclesia, Δώξα
πατρί, καὶ υἱῷ, καὶ ἁγίῳ πνεύματι
ὡς ἦν ἐν ἀρχῇ, καὶ νῦν καὶ ἀεί
καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν
αἰῶνων, Amen.

